



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Episcopalis

Piasecki, Paweł

Coloniae Agrippinae, 1620

De modo visitandi personas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

ab aliquo alio sacerdote ad id approbato regatur: Et videatur facultas, & an adhuc vigeat; & num tempore vacationis oneribus in toto, vel in parte satisfactum sit, & à quibus: & quis fructus perceperit: & quis bonorum administrationem habeat, & qua facultate. Præterea rationes fructuum videat; & ubi nemo sit, deputetur depositarius, vel plures idonei, & curatores eorumdem fructuum, & beneficii vacantis. Prouideaturque debito seruitio durante vacatione, nec non fabricæ ornamentis, &

supellectili sacræ, ubi opus est. Vbi autem non constat tempore vacationis oneribus satisfactum esse, Visitator hæredes, aliosuè, ad quos spectat ad probandam satisfactionem compellat dato illis congruo termino; Alioquin eos ad satisfaciendum condemnet; etiam pro præterita omissione; factis præterea sequestris, & relaxis deinde concessis, prout iuris fuerit.

Et hæc de Visitatione materialis; nunc ad personalem trans-eamus.

P A R S T E R T I A.

C A P V T I.

De modo visitandi personas.



IRCA personarum, siue Ecclesiæ mysticæ visitationem, sicut etiam de materiali dictum est, debet Visitator, nisi aliud conuenit, à digniori incipere. Et ubi visitat cathedralem, vel aliam collegiatam, in loco ubi actus capitulares expediuntur, prius breuiter loqui poterit, omnes charitatiuè admonendo; ut diligenter considerent, vtrum sciant, vel probabiliter credant aliquid esse in Ecclesia reformandum, corrigendumuè; & quod solum Deū præ oculis habentes audacter loqui debeant: illisque etiam in virtute sanctæ obedientiæ præcipere potest, ut sibi tanquam capiti omnia significant, quod tamen de occultis non intelligitur: & hoc etiam magna circumspectione, ac raro faciendum arbitror: Deinde secretò cum singulis de Capitulo, & cū

alijs Ecclesiasticis loquatur. Vtilius enim procedit inquisitio, quando sigillatim fit. Et hoc vesperi, quo venit, si commodè fieri potest. Quod fortè aliquando in Episcopo succedet, qui plures ministros, coadiutoresuè habet. Difficile autem in delegato, cum quo vnicus notarius est, & aliquando Vicarius foraneus tantum. Manè autem circa populū inquirat; vel vna die debet esse cum Clericis, & alia cum laicis; Et licet nulla infamia præcedant, potest gradatim, & summarè, absque iudicij strepitu inquirere, de vita, & moribus Clericorum, & Laicorum: etiam ut eos in ijs, quæ ad forū Ecclesiasticum pertinent, mulctet, ac puniat. Ab inuito tamen iuramentum exigere nequaquam potest, per quod occultum prodere cogatur. Sed cū aliqua absque iuramento corrigenda referuntur; tunc super ijs iuramentum exigere

e. inquisi-
tionis.
§. tertia,
de accusat. c. cū
Apostolus,
de cens. 6.

Arch. im
c. cauendum. 10.
q. 3.
Soc.
nu. 27.

d. c. 1. §.
sanè &
ibi docto. de
cens. 6.

Paulin. p.
1. q. 7.
Petr. p. 1.
cap. 3.
Soc.
nu. 26.

Petr. d.
cap. 1.

e. quali-
ter de
occultat.

gere

Sere poterit. Nec debet quenquam quouis alio modo cogere, vt dicat quæ corrigenda sunt in ijs, quæ ad ipsius officium spectant: sed simpliciter quærat; volentesque respondere audiat. Bene potest etiam per censuras eos cogere veritatem dicere de his, super quibus inquirat; & quæ ad visitationem conueniunt.

Pauin. p. 5. q. 5. Soci. sub num. 25. Caueat autem visitator, ne populo publicè dicat; Si quis aliquid sciat de Canonicis, Rectore, de alijsue Ecclesiasticis, mihi dicat; quia debitam illis poenam imponam; vel sic, & sic faciam. sed secretò cum aliquibus de Parochia fide dignis inquirere debet. Nec chartulas, quas Rustici contra suos Rectores clanculum offerunt, passim recipere debet, nisi contra publicè infamatus; nec nimis credulus sit: & maximè effugiat, ne incognita pro cognitis habeat.

Bart. in l. 1. §. fecisse. ff. de eo, per quæ fact. Caueat etiam ne animi perturbationes signis demonstret; ne presentes habeant quid mirari: & hoc etiam ad visitationem materialem spectat. Constantis enim viri est; cuius animi motus vultus non detegit. In monitionibus verò

procedat leniter, & asperè secundum naturam materiæ, & personæ; Omnia autem paterna charitate, Christianoque zelo agat; vt facilius, feliciusque visitationis fructus consequi valeat.

Videat autem in primis indicem Cleri illius Collegiæ, vel Parochiæ iam præparatum, & exhibitum: & intelligat, an aliquis eorum absens sit; & cognoscat, an legitimè: etsi fuerit causa studij, an percipiat fructus, ac prouentus præbendæ, quos percipere non deberet; vbi aliàs deficeret seruitium Ecclesiæ; vel vbi ipse esset diues. Sed nunc omnes indifferenter eos percipiunt; quia eorù absentia videtur redundare in utilitatem Ecclesiæ. Intelligat etiam an ibi sit cura animarum, & an competat capitulo; quia eo casu, certæ personæ attribuenda esset.

Inquisitio autem generalis hoc pacto fieri poterit, secundum tamen prudentiam Visitatoris; qui habita ratione personarum, & locorum, quædam addere, & plura omittere poterit: nam de omnibus, & de singulis inquirere, non semper erit necessarium; neque omnia vna, aut altera die expediri poterunt.

CAPVT II.

Quæ potissimum inquirenda de Canonicis in Visitatione.

Plura ex his ex 5. Anton. Socin. & ex Cœ. Prouin. Concil. Prouin. l. eo. c. cum VISITATOR singulos Canonicos secretò interrogare poterit, deinde etiam aliquos præcipuè viros ætate, vsu, & probitate commendatos de infra scriptis.

Vtrum ipse sciat, credat, aut fama sit aliquem de Capitulo nunquam, vel rarè residere,

Cultus diuinus } aut diuinis officijs interesse; etiam quod sit suspensus à perceptione fructuum, quia & ipse tenetur residere. Vtrū sciat, &c. quòd Missæ, & officia diuina, die, ac nocte horis competentibus solemniter, celebranda omittantur.

in eundem, &c. eū Vintoniæ, de elect. Ancl. in Clem. 2. de vit. & hon. cle. c. quidam, & c. 6. An